Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

ἘΝΕΡΓΙΑ, EFFICACIA, ATQVE VSVS ANGELICÆ MAGNÆ doctrina Philoſophiæ veteris, animalis, ſubſtantialis, atq; elementalis, in partibus corporis humani interioribus.

Venena.
Regurgitatio Stomachi ardorifera.
Cor confortans.
Qualitas.
Dolores pectoris.
Pleumonia.
Pleuriſis.
Stranguria.
Diſuria.

Multæ et variæ huic plantæ virtutes tribuuntur. In hoc autem præcipue artis medicæ gnari conueniunt, quod eam aduerſus venena vno ore omnes vnicè commendant. Tribuunt vero ei caliditatem & ſiccitatem in tertio gradu, atq; inde Cerebro humano, quod qualitatem frigidam & humidam obtinet, comodiſſimam eſſe ſtatuunt: Hinc & omnibus morbis frigidis interioribus, vt doloribus pectoris, pleumoniæ, pleuriſi, ſtranguriæ, diſuriæ & inteſtinorum torminibus, decoctum eius ex vino potum, ſalutiferum habent: nec minus ad regurgitationes Stomachi ardoriferas compeſcendas, et cor confortandum, valere putatur: Acetum vero, in quo radix macerata fuerit, tempore peſtilenti odoratum, atq; ſimul partibus verendis, alis, vel alijs partibus illitum, ab aëre contagioſo vindicare, ſanguinemq; ab infectione aſſerere, traditur.

CONTRA TORMINA.

D. Balthaſar Conradinus, haud vulgaris ſolertiæ Medicus, atq; exactæ Medicinæ, tam Galenicæ, quam Paracelſicæ cognitione inſtructus, Puluerem ex radice & Damulis immaturis, ex aluo materna exciſis atq; a torrefactione tritis, Colica atq; ileo affectis, ex aqua florũ Angelicæ propinauit, neq; paruã hinc laudem retulit.

NATVRA, PROPRIETAS, ATQVE VSVS ANGELICÆ magnæ, doctrina Philoſophica, corporalis, materialis & complexionalis, in membris corporis humani exterioribus.

Morſus } animalium venenatorum
Ictus }
Vlcera rheumatica.

Morſibus, ictibus & quibuſcunq; animalium venenatorum iniurijs, nec non vulneribus & vlceribus antiquis ſanandis, Radix iſta, reſinis, pici, ceræ, oleo, adipi, pinguedini et ſimilib', pro conditione & qualitate mali affligentis mixta, adhibetur. Membra ex frigore & doloribus podagricis, ſiue alijs affectionibus motu priuata, & torpentia, decoctum plantæ huius pannis calidis applicatum reſtituit. Vlceribus cuniculoſis, rheumaticis, & quibuſcunq; vnitatis in corpore ſolutionibus manantib', eiuſdem decoct iapplicatio vehementer vtilis habetur.

Oleum ad vulnera venenata.

Flores Angelicæ, in oleo communi (magis vero conferret proprium) donec vſtionem ſapiant frixi, percolantur. Colatura olei, vetuſtate colorem eleganter luteum contrahit, & venenis ictuum, morſuum, & vulnerum quibuscunq; auxiliatur, ſolummodo vel ſuperillita, vel linamentis inſtillata & impoſita.

NATVRALIS INCLINATIO ATQVE VSVS ANGELICÆ magnæ, doctrina Magiæ cum veteris tum recentis, ſpiritalis, cœleſtis, miraculoſa, ex reliquis prioribus effluens atq; exoriens, in membris corporis humani interioribus & exterioribus.

Læticiæ conciliatiuum.
Gemini.
Vel Sagitarius aſcendens.
Incantatorum per ſe nulla potentia.
Quicquid homo in medendo tentauerit, id ita tentet. vt ſimul ſtatuat, Deũ facultatẽ & poteſtatem medijs indulſiſſe: nec vlli rei, ſine numine diuino, efficaciam tribuat.

Sole in decimo quinto gradu Virginis, id eſt tertiæ faciei extremitatibus conſtituto, quod circa viceſimum ſextum Auguſti in anno communi fieri conſueuit, Caulis geniculum à radice tertium, præcidatur: Poſt, reliqua duo ferro longiuſculo terebrentur, donec totus caulis arundinis cauitatem accipiat. Per hunc canalem arundineum, potu frequenter recepto, omnes colli tumores, Angina, raucedines, & columellæ prolapſiones, ſanantur. Mercurio vero in gradu Geminorũ ſeptimo decurrente, atq; ab aliorum Planetarũ aſpectu maligno libero, Radix ſi fodiatur, contra omnes cerebri morbos, præcipuè vero morbum caducũ, collo appenſa geſtatur. Oleum ex ſemine, ſimili tempore collecto, venis temporum, arterijs & naribus illitum, lethargos reuocat & reſtituit.

POMVM ODORVM.

Sole primum Leonis punctum ingrediente, herba collecta torretur, atq; in puluerem teritur. Inde cum aqua mulſa maſſulæ formantur, quæ appenſa cor recreant, & mœrorem triſticiamq; ex humore melancholico diſcutiunt. Quod ſi tempore dicto, Gemini ſiue Sagittarius aſcenderet, tum maſſulæ illæ, ſi abſq; ſuperſtitione vt medium a Deo ordinatum, vſurpatæ fuerint, omnis generis veneficiorum, incantationum, & faſcinorum conatibus & molitionibus in homines vel beſtias, eludendis, & voto ſuo priuandis, amuletum efficax præſtabunt.

Caput ſeptimum.

DE ANGELICA MAIORE, QVÆ SOBOLI COMPARATA ALIAS LATINE LEVISTICVM, GERMANICE Laubſtückel DICITVR.

GENVS, PATRIA, NOMEN.

HERBA